lapsus è terra in pedes sese erigere nititur, sed
grave onus non sinit et rursum succollatum de„
primit, instat à tergo impius satelles et verberibus
quantumcunque potest, impellit, ipse totus roseo cruore
purpuratur et languidis membris tremit, et quæ
pars corporis non gravissimè saucia facta est, verè dixisti
Propheta: à planta pedis usque ad verticem capitis
nulla in eo sanitas: caput spinæ pungunt, genæ percussæ
rubicundum vulnus ostendunt, labra siti ardenti arida
felle et aceto potantur, barba evellitur, brachia ex„
tenduntur, manus perforantur, corpus distenditur,
crura distenta crepitant, pedes clavis durissimis af„
figuntur, quocunque converteris oculos nihil nisi
roseum sanguinem ex hiantibus cicatricibus profluentem
cernes, quid in tantis ille supplicijs loquatur? tolle,
inquit, crucem tuam et sequere me, præcessi, viam de„
monstravi, vestigia reliqui: sequere me, sic opor„
tuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam,
sic oportet te pati et ita intrare in gloriam Christi
sequere me. Non errârunt pictores illi qui viam
ad coelos deducentem tribulis asperis et aculeis
vepribus consitam pinxerunt, perinde enim quasi per